

**Theses de ambustione : quas, Deo juvante, & praeside M. Petro Sue secundo ... / tueri conabitur Josephus Sedillot, theseon auctor.**

**Contributors**

Sédillot, Joseph, 1745?-1825.  
Sue, P. 1739-1816.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1781.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/j9kukjah>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

3.

# THESES DE AMBUSTIONE,

QUAS, DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO SUE secundo,  
Collegii antiquo Præposito & nunc Quæstore, Academiæ Regiæ  
Chirurgiæ Consiliario, in Generali Parisiensi Præfecturâ Chi-  
rurgo, antiquo in Scholâ Præcliçâ Anatomiæ & Chirurgiæ  
Professore, Academiarum Monspelliensis, Rothomagensis,  
Divionensis, Lugdunensis, & Burdigalensis Socio, tueri cona-  
bitur JOSEPHUS SEDILLOT, EBROICENSIS, præclaræ  
Artium Facultatis in almâ Universitate Parisiensi Magister,  
& Nosocomii generalis, in Domo dictâ la Salpêtrière, nuperrimè  
Chirurgus præcipuus, Theseon Auctor.

Die Sabbati, 29<sup>æ</sup> Septemb., anno Salutis 1781, à sesqui-secundâ  
post meridiem ad septimam.

IN REGIIS CHIRURGORUM PARISIENSIVM  
SCHOLIS,  
PRO ACTU PUBLICO  
ET  
SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

---

M. D C C. L X X X I.

# AMBUSHES THREE

La Cure des brûlures est en partie réduite en méthode , & en partie restée dans l'empirisme..... Il y a des remèdes qui sont reconnus pour d'excellens spécifiques , & dont il est difficile d'expliquer les effets. *Quesnay , Traité de la Gangrène , Chap. xvij.*

Collage in section Acrylics Tempera & Gouache

W. DCC EKX KEP



D. O. M.

---

T H E S S

DE AMBUSTIONE.

---

CORPORIS humani læsio ab igne , aut qualibuscunque causticis impressa , generatim *ustionis* , *adustionis* , *combustionis* , vel *ambustionis* nomine donatur. Unaquæque corporis nostri , sive externa , sive interna pars , ambustioni obnoxia ; at cutis , eò quod totum tegat , sæpiùs : itaqùe quò faciliùs intelligantur circà ambustionem disputanda , de rebus anatomicis , ad structuram cutis pertinentibus , quædam prædicenda.


A ij

THESE  
DE  
AMBUSTIONE

Collège de l'Académie de Paris, à laquelle il a été délivré le 20 Janvier 1782, par M. Pâris, sur les demandes

La Cure des brûlures est en partie réduite en méthode, & en partie restée dans l'empirisme.... Il y a des remèdes qui sont reconnus pour d'excellens spécifiques, & dont il est difficile d'expliquer les effets. Quesnay, *Traité de la Gangrène*, Chap. xvij.

IN REGIS CIRURGICUM PARISIENSIUM  
SCHOLIS,  
PRO ACTU PUBLICO  
AT  
SOCIETATIS CORPUS



MICHAELIS JAMBERT, Régis Chirurgis  
Collège de l'Académie de Paris, à laquelle il a été délivré le 20 Janvier 1782, par M. Pâris, sur les demandes

M. DCC LXXXI



D. O. M.

— — — — —  
**T H E S E S**  
**DE AMBUSTIONE.**

CORPORIS humani læsio ab igne , aut qualibuscunque caus-  
ticis impressa , generatim *ustionis* , *adustionis* , *combustionis* , vel  
*ambustionis* nomine donatur. Unaquæque corporis nostri , sive  
externa , sive interna pars , ambustioni obnoxia ; at cutis , eò quod  
totum tegat , sæpiùs : itaque quò faciliùs intelligantur circà am-  
bustionem disputanda , de rebus anatomicis , ad structuram cutis  
pertinentibus , quædam prædicenda.

A ij

4

§. I.

CUTIS est involucrum crassissimum, è triplici membranâ, nempe corio, corpore reticulari, & epidermide conflatum. Corium est elasticum, cæteris crassius, suppositum, intricatissimoque compactum plexu fibrarum, quarum neque indolem, neque connexus deprehenderis: in ipso perspicias omnis generis vasculorum reptantes surculos, innumerabilesque nervulos conglobatim in distinctos apices, ad tactus sensum, extrinsecus desinentes: illis membranæ papillaris nomen impertiri quibusdam placuit. Corpus reticulare, exilibus textum fibrillis, epidermidem inter & corium medium occupat intervallum creberrimis pertunditur, retis in morem, foraminibus, quibus nerveas papillas, totidem quasi retinaculis, coercet: color huic, apud varias gentes, varius. Epidermis tenuis est ac pellucida; cutem tegit assidua comes; corpori reticulari & papillis nervosis hæret, ope textus cellularis minutissimi, alligantibusque plurimis, albo colore, vasculis; numerosissimis etiam pervia foraminibus pilos transmittit; sudori, transpirationi totidem recludit ostiola, ac perindè mercurio cæterisque intùs suscipiendis præbet se prorsùs meabilem: cutem ab attritu, dolore & ipso aëre protegit; tactus sensum, veluti munimine quodam circumcingit, atque demùm, nimiæ humorum exhalationi imponit obicem. Hæc est concisè cutis contextura: omnibus quas involvit partibus applicatur textu cellulari adiposo, sic disposito, ut illam aponeurosis musculis & ossibus teneat intercalatione suâ alligatam, nec tamen libero partium omnium motui sit impedimentum.

§.

§. I I.

Duplicis sunt generis ambustionum causæ ; primariæ scilicet & secundariæ : causam primariam ignem dicimus ; hic enim, cum sit materia ex se actuosa, subtilis, mobilitate vigens rapidissimâ, potest in partes nostras, totidem veluti cuneolis, affatim irrumperet, illasque multis modis lœdere : causæ secundariæ sunt res omnes ignitæ, quibus ignis vim & indolem suam imprimet ; hinc meritò, quæcumque igni præbere nutrimentum, vel ejus materiem introrsum concipere valent ac retinere, ustionis causas dixeris secundarias : prioris sunt generis radii solares ab interpolitâ nube, aut vitreâ lenticulâ coacti ; igneus vapor ex ardenti foco sese expediens : alterius verò generis, fulmen (1), pulvis tormentarius, prunæ, flamma, metalla igne cendentia vel fusa, corpora pinguia ac reñosa, ut adipes, olea, cera, pix, prætereaque aquæ ebulliens, jusculum, cerevisia, aut etiam quilibet aquosí vel spirituosi liquores (2). Caustica demùm, *ignis potentialis* nomine designata, inter causas combustionis recenseri debent ; sunt enim corpora, quæ, absque ullo calore sensili ignem ipsum suis effectibus æmulantur : hujus sunt ordinis acida mineralia, lapis causticus, cæteraque, quorum idem est lœdendi modus. Quamvis autem combustio à diversis fiat materiis, nihil tamen, vel parvi id referre ad curationem, cum *Hildano* dicimus (3). Nulla enim sumenda est indicatio curativa, à causâ urente, sed potius ab effectu quem inflixit : itaque ut rectius instituatur curatio, de hisce effectibus dicendum est.

§. I II.

IGNIS si partem corporis nostri quamlibet repentinus invadat, nervos divellere, fibras vasaque constringere, fluida vel in tenuem

solvore vaporem , vel in coagulum inspissare , & ipsam partium texturam vitamque penitus abolere potest ; undè prò vario ustionis gradu , effectus inter se diversi : 1º. *Si levis tantum fuerit ignis assultus*, dolor etsi primùm acutus , citò mansuescit , minimaque aut omnino nulla supervenit inflammatio. 2º. *Si magno latè sevicerit impetu ignis*, tunc nervorum laceratione immanes torquent cruciatus , fibrarum fit dira crispatio ; corrugantur , inarescant vascula , & quædam ex illis etiam disrumpuntur : hinc sub epidermide variii undique scaturire humores , extuberare phlichtenæ : rapidiori fluidorum cursu ad afflictum locum , inardescere primò phlogosis , deinde vehemens inflammatio , juxta illud veterum axioma : *ubi dolor & calor, huc sanguis uberior affuit* : à primo celeriter grassantis inflammationis æstu , secundariæ protuberare phlichtenæ ; febris , anxietas , totius corporis exagitatione , vigiliae necnon convulsivus quidam horror , omnium denique functionum perturbatio subsequi ; quæquidem symptoma eò majori pollent energiâ , quò exteriùs & latius diffunditur adustio : hoc sanè notavit Paræus , siquidem afferuit graves & profundas combustiones minùs dolere , quām cùm leves sunt & latè ad superficiem extensæ (4). Tale genus combustionis , ut plurimùm ab ebullientibus fluidis infligitur ; hoc in casu , ardua inflammatio sèpè suppuratione solvit : sèpiùs verò , quasi humidam vertitur in gangrænam , & escharæ , facto in omni ambitu à vivis partibus divortio , decidunt : hinc , horrendum visū , patere partium spoliationes , non minùs acerbissimo dolore , diuturnoque puris effluvio , quām ipso pravi humoris introitu metuendæ. 3º. *Si acriter ac vividè ignis incurrit* , tunc subito perimuntur & sensibilitas & vis partium organica ; earum vel dissipantur , vel coagulantur fluida ; torridæ apparent crustæ , & ita indurescunt , ut intùs suscipiendis humoribus sint prorsùs imperviae , adeoque siccum perfectè referant gangrænam ; loca viciniora , leviter tantum rubescunt , tūm quia ignis à

foco suo recedens, gradatim mitescit, tūm propter dolorem ab escharis contractis vivasque partes trahentibus natum; dein superveniente, per omnem ambitum, ut suprà, suppuratione, partes mortuæ, à vivis discriminatæ, mox prolabuntur.

4°. Si urens causa ultrà modum ferociat, integrumque membrum pertinaciùs occupaverit, tunc, illud vel immediate letho percellet, voratis usque ad ossa carnibus, vel mediatè interficiet, excitatâ inflammatione, actionem partium deleturâ: hic adest sphacelus, quiquidem, aut siccus aut humidus erit, plūs minùsve, prout obstructæ fuerint partes; ut in gangrēnā, sic in sphacelo deceidunt aliquandò partes mortuæ; sed sphacelus, səpiùs quām gangrēna, abit in putredinem: in omnibus hisce casibus, delapsis escharis, sordida manent ulcera; quæ, ulcerum omnium ad instar, fistulam, cariem, &c. secum trahere possunt.

Tales ignis habet effectus, varios pro suâ energiâ, varios insuper pro variâ ustionis sede, rebusque extraneis ignem comitantibus: 1°. Pro variâ sede: si caput afficiat ustio, omnia præ se fert symptomata, quæ cerebrum dolens, obstructaque ipsius vasa produnt; tunc enim, irritatio & inflammatio externæ pergunt usque ad partes intimas: eâdem de causâ, si pectus vel abdomen ustio lăserit, mox membranæ & viscera subjacentia exardescunt; undè omnia symptomata, quæ diffusam pectoris vel abdominis inflammationem sequuntur: internæ combustiones alios edunt effectus, ad naturam partium lăserum & vim causæ urentis semper compositos (5). 2°. Pro rebus extraneis ignem comitantibus: ustio à fulmine inficta, nunquām fit sine gravi commotione (6); hinc deliquum animi, hebetudo sensuum, prostratio virium, stupor & alia quæque phenomena, ad genus nervosum valdè concussum pertinentia: ustio autem ex deflagratione pulveris pyrii & tumultuosâ involucrorum, quibus incarceratur, disruptione orta, commotionem simul & contusum vulnus incutit (7); malumque səpiùs exasperant infixæ

fragmenta. Ignis potentialis suâ quoque pollet energiâ : inter causas hujuscmodi, aliæ sævissimo cum dolore partes erodunt & destruunt, ut butyrum antimonii, acida mineralia ; aliæ sedem suam modico cum dolore ac tacitè peredunt, ut lapis causticus, undè gangræna sicca subsequitur.

§. I V.

Ex ignis effectibus patet omnes à se invicem discrepare usiones; præcipuas tamen ab illarum naturâ & sede profluere differentias: 1°. *A naturâ*; hæc enim combustio adhuc recens, pungit ac lacinat; illa inflammatio rubicunda flagrat: nunc velut impositis epispaisticis, cutem epidermide suâ denudatam perhibet; nunc gangrænam simulat, vel siccum, vel humidam, vel putridam: Alia sphacelum; ulcus alia refert; alia demùm, commotione atque etiam plagâ, nidulantibusque extraneorum corporum fragmentis, fit asperior. 2°. *A sede*; externæ nimirùm sunt, aut internæ; atque ex illis, aliæ caput, aliæ pectus, abdomen, extremave corporis membra occupant.

§. V.

CUM facile pateant signa combustionis sedem arguentia, ea tantum hîc recensebimus, per quæ dignoscantur uniuscujusque species & indoles: 1°. Si recens sit combustio quælibet, ferè semper dolor acerbus & pungens: 2°. Si inflammata, magis ac magis rubet cutis; de illius tensione queritur æger; dolor incumbit gravans ac lacinans, & sæpius febris acceditur: 3°. Si cuticula sola exsolvatur, intumescent phlyctenæ aquâ lympidâ distentæ; vel nudæ nervorum papillæ, dirum in modum cruciantur, & liquore primò tenui, deinde in pus sensim densato, cutis insudat 4°. Si tegumenta sensum omnino amiserint; si color illis nigricans aut lividus;

si cutis simul induruerit, dum vicinæ partes phlegmenis horridæ dolent, tunc constat adesse gangrænam; siccum, si escharæ fluidis penitus exhaustantur; humidam, si succis turgidæ madescant; putridam, si fœtor adsit: 5°. Sphacelus deprehenditur, cum ptereà mortuum friget membrum, & cadaverosam mephitim circumfundit: 6°. Ulcus si adsit, ex se ipso facillimè patebit: 7°. Commotionem ustionis esse comitem indicant torpor, viriumque prostratio, &c. Cæterū de vulneribus & extraneorum corporum introruptione arbitrum te facit intuitus.

§. V I.

USTIONUM prognosis ex illarum naturâ, sede & *complicationibus* eruitur: combustio levis brevi curatur, atque vix appetet cicatrix; contrà verò difficilè sanatur combustio insignis; & ubi adest deperditio cutis, turpem glabramque post se relinquit cicatricem; facilè sanescit ambustio in corporibus sanis; reluctatur in cacoehymicis ac plethoricis; in ulcus putridum degenerat apud scorbuticos. Si oculos periculerit ignis; imminet cœcitas, aut palpebrarum inversio, subversio atque agglutinatio: si ingruerit in membrum, præfertim juxtâ magnas articulationes, cave ne fiat tendinum cum suis vaginis adhæsio, ne arescant ligamenta, membrum incurvetur, & ipsa tandem superveniat ankylosis. Combustio totius corporis, quæ fulmine infligitur, periculosisima. Quid plura? Si interna sit, aut externa ad partes usque intimas perveniat ustio, grande periculum infitat, malorumque exinde nascitur ilias: verum dicendi finem non faceret, si quis de iis omnibus singulatim differere aggredieretur.

abiret cunctisq; sensib; mūs, cunctisq; luctu sive  
infectu, &c.

### §. V I I.

QUANQ; topica plurima, virtute etiam sibi invicem  
prorsus opposita, ut emollientia, & astringentia, repercuttiva  
& attrahentia, calida & frigida, summo cum fructu non  
nunquam in combustione applicata fuerint, variæ tamen indica-  
tiones, quas pro suâ indole, sede, rebusque extraneis combus-  
tionem comitantibus, quotidiè nobis exhibet hujusc; morbi spe-  
cies, fatis evincunt, non esse unam & eamdem combustioni cui-  
libet medelam, variisque casibus curandi methodum  
semper esse accommodandam.

### §. V I I I.

PRIMUM combustionis auxilium in eo consistit: 1º. Ut im-  
pressio ignea extinguitur: 2º. Affluxus humorum coerceatur:  
idcirco, si recens sit combustio, qualemcumque habeat indole,  
quæcumque sint ejus sedes ac *complicatio*, subito sæviens  
dolor refrigerantia, repercuttiva & narcotica requirit: jam verò  
ex refrigerantibus, præcipua sunt frigus moderatum, lac, aqua  
communis, aquæ portulacæ, sempervivi, lactucæ, vel succi ea-  
rumdem; albumen ovi, solutiones gummosæ, olea dulcia,  
buthyrum recens, cæteraque saporis expertia atque frigida: quæ-  
quidem ignis particulas intùs hospites accersendo, sensum ner-  
vorum sopiendo, vasculaque constringendo, dolorem sedant,  
atque etiam sanguinis, in partem læsam, impetum mirificè  
compescunt(8). Repercuttiva simul cum refrigerantibus optimè pro-  
funt; quippe quæ, cutis vascula etiam constringendo, affluentibus  
humoribus occludunt aditum, sicque phlyctenas & inflamma-  
tionem arcent; similes autem effectus ab iis præcipue repercuttivis  
expectes, quæ fugacem excitant irritationem, ut posca, aqua

vegeto-mineralis, atramentum scriptorum, alumén, vittiolum martis, acida quæque aquis multùm diluta, luteum viarum, aqua calcis secunda, succi ceparum: illa verò ferè semper rejiciantur repercussiva, quæ nimium creant dolorem, ut sal mari-nus, sal ammoniacus, calor vividus (9); sed præsertim spíritus-vini (10), sal alkali-volatile (11), & omnia valdè irritantia; nam in gravioribus combustionibus, si partibus vivis & combustionē dolentibus, hæc, omnino mera, imponantur, diti subsequuntur dolores, luctuosaque apparent symptomata, ut observavit *la Motte* ex usu spiritūs vini (12). Narcotica demùm, refrigerantibus & repercussivis immixta, dolorem so-piunt, calorem inflammationemque sedant, sensum & irritabilitatem partis læsæ obtundendo; sint in exemplum succi, aut decocta solani scandentis, hyosciami, cicutæ, unguentum ex gemmis populei, laudanum, flores sambuci, &c. Hic est triplex ordo topicorum, quæ in primo combustionis æstu præstò sunt.

Si cutis, tūm casu fortuito, tūm inconsultâ manu, epidermide fuerit ad vivum despoliata, tunc omnino rejicienda sunt repercussiva mordicantia (13), & papillæ nervorum pinguibus inungendæ, v. g. unguento nutritio, vel linimento, aquâ calcis & oleo nucis composito; sic enim dolorem lenies; si verò integra remanserit epidermis, ab iis abstinendum; nam periculum est ne pinguia, præsertim cum rancida sunt, erysipelatibus præbendo locum, combustionem exasperent; longè præstant, tunc temporis, topica aquosa molliter imposita. Hic lotiones & fomenta cataplasmatibus anteponenda, eò quod, huic evaporationi, quâ fit refrigeratio partis ambustæ, melius faveant (14). Istius refrigerationis efficacia, ad repellendam cutis inflammationem, praxi quotidianâ comprobatur; v. g. in erysipelatibus, quæ videoas in pejus abire per cataplasmatæ, dum extinguntur per fomenta. Sæpius etiam hæc iteranda, donec dolor ab

Bij

igne impressus sedetur : tali methodo , hunc mirum in modum compesci , omnes ferè Artis Magistri animadverterunt ( 15 ).

### §. I X.

Si tumor jam supervenerit , si gravis instet inflammatio , rejicienda sunt : 1º. *Frigida* , quæ vitalem vasculorum actionem enecare , & inflammationem vertere in gangrenam possunt : 2º. *Repercussiva* , imprimis calida , quibus augescit incendium . 3º. *Pinguia* , quæ partes epidermide munitas afficiunt erysipelate . Nec morâ , medelam adhibeas antiphlogistica : priùs pertundas phlictendas , ut eliminetur ichor , cuius aggregatâ colluvie epidermis à cute magis ac magis dissociaretur ; sed epidermidem nunquam rescindas ; hæc enim mollem nervorum pulpam , ægidis instar , protegit , vetatque ne aëris , aut topicorum attractu cutis ipsa lœdatur . Post ubi ichor effluxerit ; decoctis emollientibus , ut malvæ , seminis lini , florum sambuci , &c. inflammatio restinguenda ; quoſquidem latices semper tepidos , indefessâ manu , iterum atque iterum profundas . Si denudata appareat cutis ; pinguibus utere confidenter ; si dolor sit acutus , illis laudani liquidi guttas aliquot immiscere utilissimum credas : expedit etiam , ut suadent *Pateus* & *Hildanus* ( 16 ) , in combustionibus , quæ tegumenta tantum corporis afficiunt , vulnus assiduè tenuissimo obtegi linteolo , ne aspero frictu , inter curandum , torqueantur nervorum apices : præterea , si pars ambusta valde intumescat , levis excitanda cataplasmatibus anodinis suppuratio , quâ , distenta sanguine , fero ac lymphâ cutis vasa , pristinam redeant ad diametrum , prementique colluvie liberentur ( 17 ) . Aliundè , præsentis erit auxiliî venæ sectio , quam , donec mitescant symptomata , prudens iterabis ; ex pede mitetur sanguis , si caput occupet ambustio ; è brachio , si alibi fedeat . Potus erunt diluentes , & antiphlogistici ; ut serum lactis , aqua

vituli, aut pulli gallinacei, cum nitro, vel cremore tartari; insuper tenuis erit victus. Tunc refert, non tantum ægroti vires frangere, sed primas vias expurgare, alvumque solvere enematibus laxantibus, & usu catharticorum, quæ levi & fugaci irritatione viscera stimulent, ut tartarum stibiatum, sales quilibet neutrales, tamarindorum aut cassiae decoctionibus soluti: hâc ce praxi, fit sanguinis aliorumque humorum à parte lœfâ derivatio, ac proindè ipsius inflammationis imminutio; febris erit certè benignior, nec idem dabitur timendi locus, ne in febrim putridam vertatur. Celeberrimus ipse *Boerhaavius*, cum post ruptam *Papini* machinam, dissilientibus aquis ferè coctam habuerit faciem, talis methodi feliciter in se ipso fecit experimentum; hanc etiam commendat *Van-Swieten* (18); hanc nosmetipſi, gravissimis in combustionibus, summo cum fructu secuti sumus. Simul ac recessit inflammatio, aut multùm decrevit; tunc, prout immunitur suppuratio, desiccanda est cutis excoriatio, cerato saturni, unguento pompholycis, seu albo rhasis, & aliis, quorum siccandi virtutem nosti; hæc tamen parcâ manu adhibeas, leviter ad superficiem tantum inunctis rarîs & usu detritis linteolis; crassior enim emplastri moles vasculorum relaxationi & puris stagnationi locum dat: undè, erosiones, excavations, pervicaciaque vidimus ulcera subsequi. Præterea disjungendæ sunt sedulò erosæ partes, toto curationis tempore, ne fiat illarum intempestiva coadunatio.

#### §. X.

**GANGRÆNA** si adsit, vel grassatur adhuc, vel certis stat circumscripta limitibus: 1º. Si grassetur adhuc, inflammatio cutis, quæ veluti ruinâ collabitur, & tabidus mador adiposi textûs subjacentis, indicium tibi sunt, ut, continuato antiphlogisticorum usu, compescendæ inflammationi operam des. Hic celeberrimi quidam Chirurgi (19) praxim aliam proposuerunt;

nempè autumabant, faciliorem fore curationem, levioremque doloris sensum, si aquâ Rabelli penitus enecarentur partes semi-mortuæ; eò quod, subversâ illarum texturâ, jam nequeant in laudabilem suppurationem abire: hæc verò methodus, non est omnibus comprobata; plurimi enim de combustionis internâ penetratione incerti, expectare malunt donec ipsa pronunciaverit natura, quot sint morituræ partes, quâm bonas & valentes causticis forsan perimere. Ea est quoque nostra sententia. 2º. Si gangræna nulos agat progressus, quod, lineâ quâdam mortuum à vivo discriminante, noscitur, triplex tunc occurrit indicatio, ut scilicet, *dirimantur escharrae*; *pellatur putredo*; *foras ejiciatur tabum*: illa, *ad dirimendas escharras*, valet suppuration, quam producit natura, & ope cujus fibræ mortuæ, vivis inhærentes, dissolvuntur; sed naturam juvant peptica dulcia, & emollientia mortuis partibus, vivisque adjacentibus imposita, ut butyrum recens, ceratum *Galeni*, &c. Expedit etiam omnem combustionis circuitum fomentis madefieri, si gangræna sit sicca (20): si verò humida aut putrida, *arcebis putredinem* topicas siccantibus & antisepticis; ut unguento Ægyptiaco (21), sive de styrace, spiritu vini camphorato, oleo therebentinæ, sale ammoniaco, acidis mineralibus, decoctis amaris, v. g. Peruviani corticis, &c. Deniquè in utroque casu, *eliminandum est pus*, tûm scarificando mortuas partes, sub quibus latitans nidulatur sanies, (22) tûm detergentes & antisepticos liquores idem tidem injiciendo: atque ubi primùm exsolutæ pendent escharrae, protinus oportet illas forficibus propè vivum rescindere. Si vapidarium emanationum introitu, aut nimiâ puris effluentia, vires suas amittat æger, confirmandæ sunt usu interno acidorum, amarorum & analepticorum, præsertim è regno vegetabili depromptorum.

### §. X I.

**A M P U T A T I O** nec primùm requiritur, si adsit sphæ-

celus ( 23 ) : cum enim nihil aliud sit , quām ipsa gangrēna ; quæ membrum usque ad ossa totum occupat , huic congruit medendi ratio , quam adversūs gangrēnam proposuimus. Ideò , si propter vividissimam inflammationem adhuc *progrediatur sphacelus* , hunc fistas , inflammationem oppugnando anodinis & relaxantibus , circā mortuas partes fomentis : *afferetur in super putredini mora* , celebratis in mortuo , usque ad intimas sanie latebras , scarificationibus ; abluatur præterea quidquid est corruptum , ac veluti condiatur potentibus antisepticis ( 24 ) : si verò suā quietus maneat in sede *sphacelus* , vivum inter & mortuum amputa ( 25 ) ; & etiam quām ocissimè , si pravorum humorum fiat introitus. Cæterū ab usu corticis Peruviani nec abstineat æger : laudabilem enim movet suppurationem.

### §. X I I.

**U**STIO quæ ad statum ulceris devenit , post delapsum partium mortuarum , aptam ulceribus omnibus curationem requirit ; eā tamē lege , ut suppurativa parciūs adhibeantur , quām si foret interna mali labes. Hæc autem ulcera , aliorum more , *simplicia* sunt vel *complicata* : si sint *simplicia* , opus est ut ad levem suppurationem , deindè ad exsiccationem perducantur : si *complicata* , ad genus simplex reducenda sunt , unicuique superadditæ noxæ , peculiari medelâ , occurrendo : sanatis omnibus malis , quæ *complicationem* fecerant , ad cicatricem perducendum est ulcus , cavendo , ne contrā naturam adunentur partes. Sed aliquandò insanabilia manent ulcera , sive propter humorum aliquod vitium pertinax , & hoc in casu fiunt veluti salubris quædam sentina ; sive propter altiorem in cavitates penetrationem , ut vidimus in Nosocomio dicto *la Salpétrière* , post ustionem , quæ usque ad sinus frontales penetraverat ; tunc illud tantū supereft agendum , ut sordibus maximâ curâ expurgentur ulcera.

## §. X I I I.

O C U L I ab igne læsi , quām lenem & benignam postulant curationem ! Illud imprimis Chirurgo incumbit ; ut dolorem leniat , sanguinisque & humorum obstat affluxui , abluendo oculos aquā frigidā aut lacte , si sit combustio recens , ac nondūm apparuerit inflammatio . At ubi primū fese exhibet inflammatio , ustionis sedes səpiùs irroranda tepido mulieris lacte , columbuli cruore , aut aquis altheæ , seminis lini , florum sambuci , &c. Ex quibus guttas aliquot identidem in oculos instillati bonum est . Sedulò avertatur lux vividior , prohibeanturque sternutatoria : si dolore magno torqueatur æger , laudanum liquidum fomentis prudenter adde . Ferè nunquām imponenda sunt cataplasmata , quæ , mole suā , delicatulas partes injucundè premunt : interea , quæ aliarum combustionum curationi prosunt , ut viētus tenuis , potus diluens , venæ sectio , purgantia , non sunt omittenda ; atque inter curandum , præcavendum est , ne fiat adunatio Palpebrarum ; səpiùs igitur digitis hinc & indè moveantur ; inter illas guttatim depluat collyrium dulce & siccans . Palpebris ulceratis nocent emplastra , quæ nimiam excitant suppurationem : hujus enim frequens exitus est palpebrarum *eversio* , *inversio* , aut *ectropium* : nocent etiam nimium siccantia , quæ pus in vasis detinent incarceratum ; hinc , turpes efformantur cicatrices ; quæquidem , non ab oculis tantum , sed à toto etiam vultu , eādem curâ sunt avertendæ . Deniquè si inflammatio rebellis , cum defluxione , atque oculorum lacrymatione pertinaci , hāc methodo non sedetur , & æger de visu periclitetur , jugulares incide , palpebris hirudines , brachiis vesicatoria appone , ac insuper post collum fige setaceum : humor ille noxius , qui ad oculos affluit , repellendus est collyriis tonicis , atque catharticis è corpore ejiciendus . Dehinc , ubi facies adusta est , quædam

dam quasi larva linea, pro commodiori medicamentorum applicatione, adaptari debet: ubi verò adustum est collum, tunc, ne incurvum evadat, dividentis fasciæ adminiculo impediendum est: aliæ, pectori, abdomini, clunibus, digitis, fasciæ, pro renatâ, excogitandæ, requiruntur. Deniquè si combustio gravis magnæ juncturæ vicinium occupet, ankylosi, & incurvationi obstabunt lubrici litus, quibus arida madefiant ligamenta; motus in omnem sensum, quibus teratur synovia; & applicatio ferularum, quibus protendatur membrum, opportunoque maneat *in situ*.

#### §. XIV.

Combustio quam *complicatam* ficerunt commotio & vulnus, aliam requirit medelam. 1º. Si tota fuerit fulmine concussa corporis habitudo, & adsint, vel syncope, vel sensuum hebetudo, viriumque prostratio; hic interno cardiacorum usu & frictionibus membrorum suscitandæ sunt vires; atque ubi primum invaluerit æger, gradatim antiphlogisticis opus est; tuncque temporis, valent aciduli potus, emulsiones, serum lactis; presertim si æger de calore interno queratur (26). 2º. Si, ab explosione pulveris pyrii, sit in aliquâ parte vulnus dilaceratum, contusum, ex commotione torpens; tunc, sicut in vulneribus aictu sclopeti inflictis, multiplex occurrit indicatio: 1º. Cùm partes ex commotione torpent, quod quidem indicant stupor, parvaque aut nulla inflammatio, in omni vulneris ambitu, & in ipso vulnera mollities, œdematosaque carnium inertia; (27) hoc in casu, carnes stimulantibus topicis vellicandæ, ut sensus & vita redeant. Sal etiam marinus, aut ammoniacus aquâ solutus, cataplasma taque aromatica maximè profund (28); sed deinde & sensim, ad emollientia transeundum est, ne diuturnior irritantium mordicatio, doloris & inflammationis nimium suscitet. Ubi pungit dolor, emollientia sola sunt adhibenda. 2º. Si aponeurosum

facta fuerit laceratio , ferro subter incide , eretismum , strangulationem partium , diraque alia metuens symptomata . 3° . Si extranea nidulentur intus corpora , factis incisionibus extrahenda sunt , vel à naturâ expectanda est felix supuratio ; quâ foras ejiciantur ; attamen , utcumquè eveniat , parcâ prudentique manu , cum torpor adest , incidendum est , ne inertes partes gangrænâ corripiantur , aut saltem in pessimam diffluant suppurationem ( 29 ) . 4° . Si propè juncturam fracta fuerint ossa , ac veluti contrita cum dilaceratione ligamentorum , nullamque servandi membra spem polliceantur incisiones , tutiorem partem eliges , si protinus membrum amputaveris ( 30 ) etiamsi stupor adsit ( 31 ) . 5° . Deniquè , si grana pyrii pulveris in cute maneant infixæ , illicò elicienda sunt , acū , aut alio instrumento acuto : cætrum combustio , vulneris comes , pro suâ indole & sede curabitur .

### §. XVI

PERACTA combustionis sanatione , supersunt aliquando vitia , quibus mederi potest Chirurgia : 1° . Si partes quædam , ut palpebræ , vulva , digitæ , &c. incuriâ fuerint adunatae , illas oportet incisionibus , si fas sit , disjungere , disjunctas tenere , genuinumque ad statum restituere , rationibus , quas pro variis casibus suppeditare possunt ingenii acies & ubertas . Industriam juvabit , cupientibusque offeret exemplar mira *Hildani sagacitas* , qui , digitos ex combustionē in externam manus partem retortos , ibique conglutinatos , ingeniosissimè excogitatâ machinâ reduxit ( 32 ) . 2° . Si recens adhuc supersit ankylosis , tentanda est curatio , balneis , fomentis , mollibus unguentis , alternisque membra motibus atque extensionibus , 3° . deniquè , si in ipso cutis textu nidulentur aliquot pulveris pyrii grana , epispasticis aut scalpello distractâ epidermide , extrahantur , sed plerumquè ex iis stigmata remanent indelebilia ( 33 ) .

## N O T A E.

(1) Juxta Physicos nihil aliud est fulmen, quam ipsa electrica materies, nitrosis sulphureisque immixta vaporibus. *Vid. Exp. du doct. Franklin, Gazette de France, du 27 Mai 1752, & Dictionnaire portatif de Physique, Tom. 2.*

(2) Pinguia quæque ac resinosa, partes nostras saevius fluidis aquos adurunt, quia majorem possunt acquirere caloris gradum: norunt omnes, oleum, pinguedinem, ceram, picem trecentos ad usque gradus calefieri, ab ipsiusque nondum flammantibus liquari plumbum, stannum, in carbonesque lignum verti: aquam verò octogesimum quartum nunquam superare caloris gradum, nisi intercludatur aeris aditus. Tunc enim talem ab igne mutuatur energiam, ut ossa ipsa agat in pultem. (*Vid. Exper. de Phys. de l'Abbé Nollet, Tom. IV.*)

(3) Fabricius Hildanus de Combustione, Cap. ij.

(4) Paré, Livre xij, Chap. 19, *de la Brûlure.*

(5) Civis quidam Hagensis ori admotum sclopetur imprudens inflavit: ex subitâ & inopinatâ pulveris deflagratione, totum os internum eo usque fuit adustum, ut per octo dies nequaquam possibilis deglutitio: prodierunt deinde escharæ, quarum prolapsus ossa denudavit. Anxia deglutitio, putrida suppuration, acerrimique dolores, ægrum ad summum vitæ periculum adduxerunt. (*Vid. Stalpart. Van-Der-Wiel, Obs. Rar. Cent. 1º. n°. xxiv.*)

(6) Præcipuum fulminis periculum est, quod potius commotionem electricam incutiat, quam adustionem infligat. Tres reverè cognovimus homines, à fulmine percussos horrendoque torpore attonitos, etiamsi nigricans tantummodo & sub-inflammata apparuerit cutis. Unam ex ipsis observationibus luctuosissimam præbuit nobis in semetipso, M. Brilouët, Serenissimi Borbonii Ducis Chirurgus: nostræ annotationis in fidem testis sit ipse. Enarrat *Fabricius Hildanus*, hominem equumque simul fulminis ictu cecidisse, nullam verò exteriùs læsionem apparuisse, præter exiguum quoddam equitis in capite foramen. Ea electricæ commotionis ignorantia in causâ fuit, cur veteres fulmini vim & virtutem præternaturalem tribuerint. *Hildanus*, Centur. 4. Obs. 26. Præterea, in quibusdam fulmine percussis, nonnulla asphyxiæ annotantur phenomena.

(7) Urens causa ustioni omnino alienos quandoquè producit effectus. Quidam Chirurgiæ alumnus, ex nosocomio dicto *de la Salpétrière*, pyroboli speciem ( gallic. *Maron* ) igni admovit: repente pulvis erupit, imprudentisque juvenis dextram conquaßavit atque dilaceravit. Curatis tamen omnibus adustionis, contusionis, atque lacerationis symptomatibus, juxta doctrinam mox proferendam, servata fuit manus à M. *Faguer*, tūm prædicti nosocomii Chirurgo præcipuo, nunc primariæ excubiarum regiæ cohortis Chirurgo primo, Doctore Medico, nec-non regiæ Academiæ Chirurgiæ Socio.

(8) Ancilla quædam, ex eodem nosocomio, sibi suprà pedem universamque tibiam effudit ollam juscule ferventi plenam; haud morâ, pars usta aquæ profilientis ex fonte rapido jactui per integrum horæ quadrantem fuit supposita. Tam prosperè cessit frigida hæc effusio, ut protinus mansueverit dolor, nulla intumuerit phlebitena, nullumque ustionis vestigium postero die apparuerit. Nonnè satis demonstrat tale exemplum, graviter errate illos, qui clamitant à frigidis topicis in recentibus combustionibus abstinentia esse? Illud sanè non intellexerunt Hippocratis axioma, quod quidem ad veteres tantum ulceratasque ustiones spectat. *Ulceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem intolerabilem facit, denigrat, rigores febriles, convulsiones & distensiones creat,*

(9) Calor vividus, quem permulti auctores in ustione recenti tantoperè suadent, non elicit, ut contendunt, particulas igneas; sed agit eodem modo, quo resolutiva quæque calida, eodemque modo nocet.

(10) Spiritum vini laudat imprimis *Sydenham*; sed nunquam adhibendus ille est, nisi cum ad gangrænam putridam ustio devenit.

(11) Regiæ Scientiarum Academiæ Socius *D. Sage* arbitratur dolorem ustioni comitem, à phosphori acido infligi: itaque alkali-volatile suadet usum, quasi hic fieret quædam saturatio. Sed docet experientia tam acre topicum dolorem saepius exacerbare; credimusque cum Chemistis aquam frigidam esse potiorem. (*Vid. Expériences sur les effets de l'alkali-volatile.*)

(12) Mentionem facit celeberrimus *La Motte* de latâ combustionē, quam ad gangrænam diros per dolores spiritus-vini perduxit. (*La Motte, Traité de Chirurgie, Tom. 2, Obs. 307.*) *Hildanus* etiam in cruris ambustione non meliores vidi spiritus-vini effectus: talem enim excitaverat inflammationem, ut longâ tantum abundantique suppuratione compesci potuerit. (*Vid. Hild. Centur. 4, Obs. 93.*)

(13) Ceparum, salis, & saponis mordacitatem multo oleo obtundebat

*Hildanus*, iisque feliciter utebatur, quotiescumque integra remanserat epidermis; nam, ut ait *Paræus*, *Il est à noter que, où il y a écorchure, ils causent douleur, & font augmenter l'inflammation.*

(14) Hoc Chemistarum constat experimentis, ab evaporatione nasci frigus; atque corpora fluidis madida, cò plus, dum siccescunt, concipere frigoris, quò sit velocius fluidorum evaporatio. Tales sanè observationes in Chirurgiæ ac Medecinæ praxi pròdessa possunt. (*Voyez Recherches sur le refroidissement des liqueurs, par M. Roux.*)

(15) Voyez Paré, chap. 18, liv. 12. — *Hildanus de combustion;* cap. 6. — Van-Swieten, *Commentaire sur le §. 481.* — Heister, tom. 1, p. 324.

(16) V. Paré, livre 11, chap. 18. — *Hildanus, chap. 7 de combust.*

(17) Si ità intumuerint partes, ut nulla supersit spes resolutionis, immineatque gangræna periculum; vide in *Observatione Hildani jam citatâ*, quid possint anodyna tunc cataplasmata.

(18) Voyez Van-Swiéten *Commentaire sur le §. 481.*

(19) Voyez *Traité de la gangrène*, par Quesnay, pag. 285; & *Cours de Pathologie* de M. Simon, par M. Hévin.

(20) Si omnino torrefacta fuerit cutis, si propter vehementiorem inflammationem, sicciam referat gangrænam, tunc ad usum prona sunt topica quælibet emollientia, dummodò non instet putredo. Censemus cùm Van-Swieten, §. 481, spirituosos & astringentes fatus hìc nocere, tùm quia augent doloris sensum, tùm quia rigidas faciunt fibras, quibus crustæ vivis partibus inhærent, & sic escharrarum separationi adversantur. Aliter tamen sentiunt peritissimi quidam Artis Magistri.

(21) Cùm imminet putredo, protinus deneganda sunt laxantia, adhibendaque siccantia antisepatica, inter quæ, juxta celeberrimum artis Magistrum *Louis*, præcipuum locum obtinet unguentum *Ægyptiacum*. (Vide Notam in Van-Swiet. §. 462.)

(22) Si cutem latè afficiat gangræna siccæ, tunc mirificè pròdessa scariificationes deprehendit M. *Brun*, *Ædium Nosocomii Generalis Parisiensis Chirurgus Primarius*, necnon Doctor Medicus.

(23) *Une gangrène qui s'étend, inquit Sharp, avoit été regardée jusqu'ici comme la principale raison de couper un membre, & maintenant c'est une raison contre. — Car dans les gangrènes critiques, il est impossible de sonnoître assez exactement l'état du sang pour décider quelle quantité de l'ex-*

trémité gangrénée doit périr. — Et dans les gangrènes de cause externe , le membre est ordinairement enflammé & tuméfié jusqu'à une hauteur considérable au-dessus de la gangrène , & retient les semences d'une gangrène future qui se manifeste de nouveau après l'amputation. Une raison plus importante encore , est le mauvais état de la santé du malade pendant que la gangrène s'étend , & même une dissolution dans le sang , qui peut donner plus de crainte pour l'hémorragie des petits vaisseaux. — Toutes ces raisons prouvent la nécessité de différer l'amputation , jusqu'à ce que la séparation soit bien avancée. Par ce délai , le sang se raccommodeera , & le malade sera plus en état de soutenir les dangers de l'opération. ( Voyez la Traduction Françoise des recherches critiques sur l'état présent de la Chirurgie , p. 335 & suivantes. )

( 24 ) Idem Sharp audaciōr , propè vivas partes , quantum fieri poterat , mortua quæque rescindebat : sic enim tūtiū arcebāt putredinem , nec aliter agere licet , quotiescumquè truncum sphacelus occupat. Hāc methodo feliciter usus est Lā Motte. ( Voyez son Traité de Chirurgie , Obs. 311. )

( 25 ) Tribus in locis fieri potest amputatio , nempē , 1°. in vivis partibus , 2°. in mortuis , 3°. vivas inter & mortuas , ita ut potius ex sanâ parte aliquid excidatur , quām ex ægrâ relinquatur. Hanc ultimam praxim optimè descripsit Celsus. ( Medicinæ , lib. 7 , cap 33. ) Hanc nosmetipsi suademus ; minorem enim infligit dolorem , quām cùm viva pars amputatur ; certioremq̄e spondet curationem , quām cùm mortua tollitur. ( Vide Huxham , Effais sur les fièvres , pag. 81. )

( 26 ) Curationem hanc antiphlogistica requirunt eretismus & calor , qui stuporem plerūmque sequuntur post fulminis ictum. nostram sententiam confirmat celeberrimus D. Lieutand. ( Vide Précis de Médecine , tom. 2. pag. 109. )

( 27 ) Duplex est stuporis genus : stupent sensus , cùm illos obtundit viva percussio : stupet vis organica , cùm genuinum vitalemque motum carnes amiserunt Si elles sont peu vives , ( inquit Quesnay , de statu carnium in hocce casu loquens ) si elles sont relâchées & mollasses , sans aucune cause sensible ; s'il ne survient pas à la circonférence ce petit gonflement inflammatoire qui doit former une suppuration favorable , on a tout lieu de penser que le coup a laissé une stupeur qui entretient la plaie dans cet état fâcheux. ( Voyez Traité de la gangrène , pag. 48. )

( 28 ) Tale genus topicorum commandant celeberrimi Quesnay & de la

*Matinière*; insuper si eretismo & crispatione rigeant solida, in promptu sint emollientia, atque sanguinis missio. Le traitement extérieur ( inquit celeb. de la Martinière ) est soumis à des indications raisonnées qui doivent se tirer de l'état des choses. ( *Voyez son Mémoire sur les plaies d'armes - à - feu. Mem. de l'Acad. de Chir. tom. IV.* )

( 29 ) La stupeur ( inquit illustrissimus M. Louis ) est un effet des corps contondans qui frappent avec violence : cet accident, auquel on sera désormais plus attentif dans la cure des plaies d'armes-à-feu, depuis les solides réflexions que l'on doit à M. Quesnay, prescrit de la modération dans les incisions. ( *Voyez le Dictionnaire Encyclopédique, au mot Gangrène.* )

( 30 ) Cum nulla superest spes servandi membra, protinus illud amputari suadet celeberrimus de la Martinière ; etiamsi nimiæ videantur obstare ægri vires, inflammatoriaque dispositio nervosi generis irritatio, etiamsi verum sit longè tutiorem fore amputationem, si dira priùs mansueverint symptomata, si incisionibus, venarum sectione, potuque diluenti, labefactatæ fuerint vires, nihilominus amputationem imperat D. de la Martinière, arbitraturque minus oriri periculum ex unâ operatione, quæ malum malique caufam simul tollit, quam ex repetitis incisionibus, quæ ægrum miserè torquent, nec illum ab innumeris complicatæ plagæ ærumnis liberant. ( *Voyez Académ. de Chir. tom. IV.* )

( 31 ) Cùm partem valdè contusam ac profundè comminutam localis stupor occupat ; juxtà celeb. de la Matinière, novum adest indicium celebrandæ amputationis. Hoc enim in casu vasorum ineftiam sequitur humorum colluvies gangrænae prænuntia, salubrique effluentia locum præbet amputatio in carnis stupore non concussis. ( *Mem. de l'Acad. Roy. de Chir. tom. IV.* )

( 32 ) Vide apud *Hildanum* depictas machinæ figuræ, lib. de Comb. cap. xv.

( 33 ) Vir quidam, utilium cognitionum progressibus favens, præmium huic proponit, qui, judice Academ. Reg. Chir. optima indicabit media, quibus stigmata faciei per Pyrium pulverem impressa, sine periculo nec deformitate deleantur, *Vid. diarium Med. mens. Aug. 1781.*

